



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Parisiensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

habere nequiverint, per alium secundum formam Ecclesiae satisfactione præmissa oporteat ligatum absolvit. Ad hanc, omnes libertates & immunitates, dignitates quoque, ac rationabiles & approbatas consuetudines Ecclesiae tuæ, nec non & exemptiones secularium exactionum à Regibus seu Principibus aut aliis fidelibus rationabiliter tibi & Ecclesiae tuæ ac Clericis ejus indultas auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum licet Atheniensem Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salvis semper in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, reverentia, & mandato. Si qua igitur in futurum ecclesiasticae secularis persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundò tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniuste cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatinus & hic fructum bona actionis percipiunt, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manuum Iohannis sanctæ Maria in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancillarij Idibus Februarij, Indictione XI. incarnationis dominice anno M C C V I I. pontificatus vero Domini Innocentij Papæ III. anno undecimo.

PARISIENSI EPISCOPO.

*Epiſt. 157.
De Clerico
faliario.
Cap. Novimus.
De verbis. ſig-
nificat.
* Cap. Ad fal-
liario. De fal-
liarius.*

N Ovimus expedire ut verbum illud quod & in antiquis canonibus & in nostro quoque * decreto contra faliarios edito continetur, ut videlicet Clericus per judicem ecclesiasticum degradatus seculari tradatur curia puniendus, aperiens exponamus; cum & quidam prædecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint, & quorundam sit opinio à pluribus approbata, ut Clericus qui propter hoc vel aliud grave flagitium non solum damnabile sed damnosum fue-

rit degradatus, tamquam exutus privilegio clericali, seculari, foro per consequentiam applicetur, cum ab ecclesiastico fuerit foro projectus; cuius utique degradatio celebranda est seculari potestate præsente, ac prænuntiandum est ei, cum fuerit celebranda, ut in suum forum accipiat degradatum, & sic intelligitur tradi Curia seculari, pro quo tamen Ecclesia debet efficaciter intercedere ut circa mortis periculum citra eum sententiam moderetur. Pro illo vero faliario scelerato, quem ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum; ut in perpetuum carcerem ad agendam poenitentiam ipsum includas, pane doloris & aqua angustie sustentandum, ut commissa defleat & flenda ulterius non committat. Datum Laterani xiv. Kal. Martij, pontificatus nostri anno undecimo.

AVRIENSI EPISCOPO.

*Epiſt. 158.
De faliario
naturam.
Cap. Peccati.
De jure patrum.*

P Ostulaſti per ſedem apostolicam edoceri ut cùm rectores parrochialium Ecclesiarum quandoque quosdam præſentent ad ſuarum Ecclesiarum titulos ordinandos, utrum electio talium ad ipsos rectores pertineat vel etiam ad patronos, & ſi in iis patronorum non eſt requiriens afflensus, utrum jus illis salvum remaneat eligendi, ut cùm ipsas Eccleſias vacare contigerit, intitulati hujusmodi non ſint aliis præferendi. Ad quod fraternalitati ue breviter reſpondemus, quod per initiationem hujusmodi nullum patronis præjudicium generatur quin poſſint alios ad ipsas Eccleſias, cùm vacaverint, prælenpare, niſi de patronorum processerit afflenuſ. Datum Laterani 11. Idus Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

UNIVERSIS EPISCOPIS
per Angliam constitutis.

*Epiſt. 159.
Commissio ad
versus eos qui
non feruunt
interdictum.
Vide Math.
Paris ad an.
1109. & ſig.
Epiſt. 160. 1109.*

C Vm Cisterciensis ordinis monasteria per Angliam constituta interdictum ecclesiasticum pro negotio Cantuariensis Ecclesiae auctoritate nostra generaliter promulgatum incepſiſt arcte fervare, postmodum quædam eorum, ſicut accepimus, appellationis prætextu quam occasione privilegiorum ſuorum interposuſſe dicuntur, ipsum non ſolū quoad eorundem privilegiorum indulta temere violarunt, verū etiam in campanis ſonantibus ac boantibus cantilenis, aperiſtis januis, & ad communionem aliis invitatis, ſolemniter præfumpſerunt ſolito celebraſt. Licet igitur tantam præſumptionis auda-